



# Disputatio juridica inauguralis de servitutibus praediorum urbanorum

<https://hdl.handle.net/1874/342828>

19

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**SERVITUTIBUS  
PRÆDIORUM URBANORUM,**

QVAM  
AUSPICE SUMMO NUMINE  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS ,  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &

Privilegiis ritè consequendis ,

*Eruditorum examini subjicit*

SIUCK VAN BURMANIA , Nob. Fris.

*Ad diem 3. Julii , horâ locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academice  
Typographi Ordinarii , c̄lo Ioc Lxxxv.

# SERVATIBUS

PERDIORUM URGENTORUM

DOLORANTICHEMICS

DISPUTATIONE  
IN QUINTA  
PARTIE  
DE  
SERVATIBUS

PERDIORUM URGENTORUM

DOLORANTICHEMICS

DISPUTATIONE  
IN QUINTA  
PARTIE  
DE  
SERVATIBUS

PERDIORUM URGENTORUM

DOLORANTICHEMICS



*NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS.*

*SPECTATISSIMIS. VIRIS.*

**D. D. LASIO. A. BURMANIA.**

TERRITORI. QUOD. DICITUR. LEOVAR-  
DERADEEL. PRÆTORI. ÆQUISSIMO. PATRI.  
SUO. OB. INNUMERA. IN. SE. COLLATA.  
BENEFICIA. FILIALI. AMORE. IN. PERPE-  
TUUM. PROSEQUENDO. HONORANDO. CO-  
LENDΟ.

**D. D. DUCONI. MARTNA. A.  
BURMANIA. DISTRICTUS. DICTI.**

WYMBRITSERADEEL. PRÆTORI. QUONDAM.  
GRAVISSIMO. PATRUO. SUO. SUSPICIENDO,

**D. D. THEOTARDO AB AYLVA.**

PRÆTURÆ. DICTÆ. WONSERADEEL. PRÆ-  
TORI. JUSTISSIMO. II. NOVEMVIRO. AM-  
PLISSIMO.

D. D. HOBONI. ESAIÆ. AB. AYLVA.

DICASTERII. DONGRIÆ. ORIENTALIS. PRÆ-  
SIDI. SPECTATISSIMO. VARIISQUE. MUNE-  
RIBUS. SUMMA. CUM. LAUDE. GESTIS. CLA-  
RISSIMO.

D. D. I O H A N N I. WILHELMO.

LIBERO. BARONI. AB. AYLVA, CHILIARCHO.  
MILITIÆ. FRISICÆ. PRÆFECTO. VICARIO.  
EJUSDEM. PROVINCIÆ. MILITIÆ. NAVALI.  
PRÆPOSITO. LIERORTI. SATRAPÆ. MUNI-  
TISSIMI. OPPIDI. COVORDIÆ. GUBERNATORI.

AVUNCULIS. SUIS. PLURIMUM. DILIGEN-  
DIS. AMANDIS.

*Exercitium hoc Inaugurale ea qua  
par est observantia*

D. D. D. O.

SIUCK VAN BURMANNIA.

AUCTOR.



## PRÆLOQUIUM.



Um jam dudum obtinuerit, ut hi qui ex Academiis, ad forum transire velint, publico exercitio, Academia valedicere debeant, mihi hunc morem itidem observare cupienti, materiarum quaternio propositus fuit, cumque ex ipsis materia Servitutum Prædiorum Urbanorum maxime placuisse, de iis earumque juribus, pauca in præsenti differere constitui.

A 3 DIS-



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

# SERVITUTIBUS PRÆDIORUM URBANORUM.

THESSIS I.



Rdo igitur ut servetur, servitus quid sit videamus? Definitur *Jus alteri in re aliena constitutum*, quo Dominus ejus rei aliquid in suo pati vel non facere cogitur in alterius utilitatem. *Dixi esse jus scilicet respectu ejus cui est constituta, habita enim ratione ad eum, qui constituit servitutem, non est jus sed juris diminutio l. 5. s. 9. D. de op. nov. nunc. nam in suo aliquid pati vel non facere cogitur. l. 15. s. 1. D. de servit. In re aliena, nam fieri non potest ut res sua cuiquam serviat l. pr. princ. D. si usus fr. pet. Pati vel non facere ex quo apparet servitutis naturam esse ut Dominus prædii ser- vientis*

vientis non possit cogi ad aliquid faciendum , *l. 15. §. 1.*  
*D. de serv.* Finis servitutis est commodum sive utilitas,  
 sine utilitate enim servitus constitui non potest; nisi amæ-  
 nitatem aliquam habeat, qualis est servitus prospectus,  
*l. 15. pr. D. de serv.* & amænitatis gratia aqua duci po-  
 test *l. 3. D. de Aqua cott. & aet.*

## I I.

Similitudo quædam est inter servitutem modo defini-  
 tam & illam de qua agitur in titt. *Inst. & Pand. de stat.*  
*hom.* servitus enim ibi definitur *constitutio contra natu-*  
*ram qua quis alieno dominio subjicitur §. 2. Inst. de jure*  
*pers.* sic quoque contra naturam est, quod una quæque  
 res Domino suo liberum usum præstare nequeat, sed domi-  
 nus cogatur permittere ut usufructuarius ex fundo (cujus  
 proprietas sibi debetur) fructus deducat, ut aliis per suum  
 fundum liberum iter, actum, viam habeat; ut onus coga-  
 tur ferre, altius tollere vel non tollere &c. Et cum quod  
 ex re sua percipit dominus, id res ultro præstare videtur,  
 & (quasi natura ita facta) id libere facere velit. Cum autem  
 supra dicta pati vel non facere cogitur contra naturam id  
 fieri videtur.

## I I I.

Dividitur in personalem & realem *l. 1. D. de serv.* per-  
 sonalis servitus est cum res obnoxia est certæ personæ eam-  
 que excedere nequit. Realis est quæ debetur prædio sine  
 respectu ad personam, de differentia utpote quæ instituti  
 nostri non est multa in præsenti dicere supersedeo.

## IV. Rea-

8 DISPUTATIO JURIDICA

I V.

Realis servitus est ut supra dixi *Jus alteri in re aliena constitutum, quo dominus ejus, rei aliquid in suo pati vel non facere cogitur, in alterius utilitatem & commodum.*

V.

Servitutes reales sive prædiorum aliæ in solo aliæ in superficie consistunt l. 3. *D. de serv.* sive rusticæ vel Urbanæ §. 3. *Inst. de reb. corp. & incorp.* Rusticæ servitutes sunt quæ debentur prædio rustico pr. *Inst. de serv.* Rustica prædia sunt quæ fructuum causa comparata sunt, magisque in solo consistunt d. l. 3. *D. de serv.* Huc pertinent omnes agri & horrea fructuum causa comparata ut & horti vinearii olitorii & oliveta l. 198. *D. de V. S.* Servitutes Urbanæ sunt quæ ædificiis inhærent iisque debentur, §. 1. *Inst. de serv.* Urbana prædia accipimus non solum ea quæ in oppidis sed & forte stabula & meritoria in villis & vicis vel prætoria voluptati tantum inservientia, *Quia Urbanum prædium non locus facit sed materia* l. 198. *D. de verb. sign.* observandum autem prædium dominans semper nomen dare servituti. Servitutes rusticæ ut iter actus, &c. si prædiis Urbanis debeantur fieri Urbanas.

V I.

Rusticarum servitutum variæ sunt species, quæ comode ad tria genera revocantur. 1. Quæ eo pertinent ut per fundum alienum ad nostrum perveniantur, cuius generis

generis sunt quæ enumerantur *pr. Inst. de serv. & l. i.*  
*pr. D. de serv. præd. rust.* 2. Ut quid ex vicino sumere  
 liceat ad usum prædii nostri , quales quæ habentur §. 2.  
*Inst. de serv. & l. i. §. 1. D. de serv. præd. rust.* 3. Ut  
 præmium nostrum onere quo intus premitur exoneretur  
 ut *l. 29. D. de serv. præd. rust.* Sed quia de his servitu-  
 tibus multa dicere propositi mei non est , ad servitudes  
 prædiorum urbanorum transgrediar.

## V. I I.

Servitudes Urbanæ hæc fere sunt. Oneris ferendi. Tigni  
 immittendi , Projiciendi , Stillicidii vel fluminis recipiendi  
 vel non recipiendi , Fluminis avertendi vel non avertendi ,  
 Altius tollendi , vel non tollendi , ne luminibus officia-  
 tur , Luminum , & Prospectus. Videbimus de singulis.

Inter has prima nobis explicanda venit servitus Oneris  
 ferendi , quæ est *Jus quo quis præstare cogitur ut vi-*  
*cini onus suo parieti vel columna inniti possit l. 33. D.*  
*de serv. præd. urb.* Servitus hæc à natura servitudinis dege-  
 nerare videtur & quasi spuria esse , nam cum aliarum  
 servitudinum natura sit ut Dominis prædii servientis , tan-  
 tum ad aliquid patiendum vel non faciendum coga-  
 tur *l. 15. §. 1. D. de serv.* hic è contrario teneatur ad  
 aliquid faciendum , nempe ut parietem vel columnam  
 cui onus ferendum impositum est reficiat *l. 33. D. de serv.*  
*præd. Urb. & l. 6. §. 2. D. si serv. vind.* neque ratio deest ,

B

cum

cum enim servitutes sint perpetuae , neque servitus ali-  
ter consistere non possit , nisi paries vel columna refi-  
ciatur , ideo qui hanc servitutem debet , ad reficiendum  
cogi potest , & ex formula , quæ habetur l. 33. *D. de*  
*serv. præd. urb.* satis liquet promittentem servitutem , se-  
refectioni quoque adstringere . & Ulpianus probat Servii  
sententiam defendantis , eum cui servitus constituta est  
posse cogere adversarium ut parietem reficiat ad onera  
sua sustinenda l. 6. §. 2. *D. si serv. vind.*

## I X.

Servitus *Tigni immittendi est Jus , quo quis Tignum*  
*in vicini parietem immittere potest.* Tigni appellationem  
hic non ita late extendimus ut in §. 29. *Inst. de Rev. Div.* ,  
§ l. 62. *D. de verb. sign.* sed tantum intelligimus , tra-  
bem , ferrum , aut lapides oblongos . Nemini sane citra  
servitutem impositam , propria autoritate Tignum in  
vicini murum immittere licet . Servitus Projiciendi de  
qua fit mentio l. 1. § 2. *D. de serv. præd. urb.* est cum  
nobis licet Tignum ex nostro pariete mittere in aream  
vicini , ubi hæc est differentia inter servitutem Tigni im-  
mittendi & Projiciendi , quod Projectum sive Protectum  
appelletur quod non nisi in nostro solo requiescat , ut  
suggrunda & mæniana , immissum autem quod ita fie-  
ret ut etiam in pariete vicini requiescat , ut tigna &  
trabes l. 242. §. 1. *D. de verb. sign.*

X.

Sequitur servitus stillicidii vel fluminis recipiendi vel  
non recipiendi . Stillicidium est aqua guttatum decidens ,  
quæ

quæ cassitare dicitur. Flumen autem est quod aquam continuo fluxu per tubulum aut canalem dimittit. Servitus *Stillicidii vel fluminis recipiendi*, est *Jus quo vicinus cogitur aquam de tecto alterius labentem recipere in suam aream vel cloacam*. Is qui habet servitutem stillicidii recipiendi, servitutem altius ædificium suum tollendo leviores facere potest, deprimere autem nequit quia hoc modo servitus aggravaretur *l. 20. §. 5. D. de serv. præd. urb.* si etiam antea de tegulis cassitaverit ut ex tabulato vel ex alia materia in posterum cassitet facere non potest *l. 20. §. 4. eod.* Servitus stillicidii non recipiendi est *Jus quo vicinus ædium suarum stillicidium, in aream vel cloacam vicini avertere prohibetur*. Jure si quidem communi & jure libertatis rei nostræ licet nobis prohibere vicino ne stillicidia sua in nostram aream immittat. Sed ubi ex lege consuetudine aut publico civitatis jure permisum sit vicino nostro stillicidia sua in nostram aream immittere, nos autem ab hoc onere liberati esse velimus, necesse est ut vicinus nobis servitutem constituat, suoque prædio imponat. *Vinn. ad § 1. Inst. de serv.* Est & alia servitus fluminis avertendi vel non avertendi. *Servitus fluminis avertendi est Jus quo aquam meam derivare possum in fundum vicini. Non avertendi est Jus quo vicinus meus aquam suam in usum suum avertere nequit, sed ut usui meo inserviat pati cogitur.* Quæ servitus primo intuitu, servienti factum tribuere videtur, nempe ut aquam derivet, sed si plenius inspiciamus videmus tantum permitti, ut aqua de tegulis vicini in meum usum fluat.

## X I.

Servitus Altius non tollendi est, quæ cogit vicinum, ne ædes suas ædificando altiores faciat sed in eodem statu relinquat. Naturali sane libertate & extra casum servitutis unus quisque ædes suas extollere potest, quo usque velit, l. 8. § 9. C. de serv. imo in infinitum, ex rescripto Imp. Antonini & Veri. l. 14. D. de serv. præd. Urb. etiam cum vicini incommodo l. 9. eodem, sed legitima observata distantia l. 14. D. eod. & sic non obstabunt l. 30. D. de Usufr. § l. 10. D. de serv. præd. Urb. Qui vicinis nullo Jure obstrictus est, pro arbitrio ædificare potest, nam qui suo jure utitur, per alterius incommodum impediri nequit, sed hactenus quatenus nil in alienum immittat l. 8. §. 5. D. si serv. vind. Magistratus autem officium est providere ne malitiis indulgeatur. Est tamen exceptio quam Imp. Justinianus l. 14. §. 1. Cod. de serv. citat; nempe dominum areæ ubi frumentum a paleis secerni soleat, posse prohibere vicino, ne ædificando murum ventum liberum (quo in secernendis paleis opus est) sibi excludat, quod speciali annonæ causa placuit.

## X II.

Opposita præcedenti est servitus Altius tollendi, Quæ est Jus quo vicinus cogitur pati ut ædes meas altius tollam. Sunt qui hanc servitutem expungendam, & quoties de illa fiat mentio de servitute altius non tollendi intelligendam esse censem, idque expresse contra mentem Jcti Gaji l. 2. §. 1. D. de serv. præd. urb. Ubi hanc inter servitutes urbanas enumerat & Paulus l. 7. §. 1. D. Comm. præd. sic inquit. Servitus alienis ædibus imponi

*imponi potest, ut altius tollere vel non tollere liceat.* Neque verisimile est tantos JCtos, tot in locis Tautologiam voluisse committere, cum contrariis verbis toties inculcent. Sed videamus quomodo hæc servitus constituatur. Arridet mihi sententia eorum qui censem hic præsupponendum esse generale statutum quo omnibus ædificiis altitudo certa constituta sit, quam vicino invito transgredi non licet, si autem hanc altitudinem præscriptam transgredi velit, a vicino servitute acquisita id impetrat, *l. 11. §. 1. Cod. de Edif. priv.* Nec obstat quod aliqui dicant publica statuta privatorum pactis aboleri non posse, contrarium enim patet ex *l. 12. C. de Ed. priv.*

## X I I I.

Servitus ne Luminibus officiatur *est Jus quo possumus prohibere ne vicinus aliquid in suo faciat, quo luminis nostro officiatur.* Hanc servitutem eandem non esse cum servitute Altius non tollendi, patet ex eo quod in servitute ne Luminibus, aliud quid est imo plus, quam in servitute Altius non tollendi, qui enim hanc servitutem sibi acquirit, non tantum hac intentione hoc facit ne vicinus, ædes altius tollat (licet hunc finem maxime contineat) sed etiam ne ullo alio modo lumini nostro officiatur, veluti ne arborem aut aliud quid ponat. *Servitus luminum est Jus fenestram seu lumen, immittendi in parietem communem.* Naturali equidem libertate facere istud licet, verum vicinus suo Jure obstruere potest. Ab hac servitute differt servitus prospectus, quod in servitute luminum sufficiat cœlum videri è loco superiori, Prospectus etiam veniat ex inferiori *l. 16. D. de serv. præd. urb.* Nam qui debet servitutem prospectus, nil

poteſt facere , quo liberior & gratior proſpectus mihi adi-  
matur , qui lumen ne cœlum obſcuretur . l. 16. D.  
eod.

## X I V.

Post enumeratas servitutum species de earum acqui-  
ſitione videamus . §. 4. *Inst. de ſerv.* dicitur per pactiones  
non utque nuda pacta , ſed quæ contractibus B. F. in conti-  
nenti adjiciuntur , & efficacem actionem pariunt l. 7. §. 5.  
*D. de pact.* ſed etiam verba *pactionibus & stipulationi-  
bus* coniunctim accipi poſſunt , quia per ſtipulationes  
pacta coniūrmari ſolent . 2. Per cessionem in Jure de qua  
agitur l. 39. *D. de ſerv. præd. Urb.* 3. Per ultimam vo-  
luntatem servitus coniūrbitur recte , poſteſt enim testator  
Hæredem damnare ne altius tollat , ne lumen officiat ,  
§. 4. *Inst. de ſerv.* & ſic quemadmodum Legata Legata-  
rios ipſo jure dominos faciunt l. 80. *D. de leg.* 2. ſic etiam  
servitutes Legatae ſine facto Hæredis ipſo Jure ſunt Lega-  
tarii , l. 19. §. 1. *D. ſerv. quem. amitt.* Poſtremus modus  
acquirendæ servitutis eſt diuturnus uſus & quaſi poſſeſſio  
l. 10. *D. ſi ſerv. vind.* non requiritur uſucaſio , quia in uſu-  
caſione eſt poſſeſſio vera , hic autem ut in omnibus rebus  
incorpoſalibus eſt tantum ficta & quaſi poſſeſſio l. 43. §. 1.  
*D. de A. R. D.* Hic tamen non requiritur Bona Fides aut  
Justus Titulus , ſed ſi poſſit docere , ſe per tot annos non  
vi , non clam , non precario ſervitute uſum fuiffe , ſervitutem  
acquisivisse videtur l. 10. *D. ſi ſerv. vind.* quod ſane in  
ſervitute ſpeciale . Dicitur quidem exemplum immobiliū  
illis præſcribi , l. 2. *C. de ſerv.* ſed hoc de tempore non de  
titulo intelligendum .

XV. Amit-

Amittuntur servitutes. Primo soluto Jure auctoris , nempe cum Hæres , fundo sub conditione legato servitutem imposuerit , cum conditio existit servitus cessat. *I. ii. D. serv. quemad. amitt.* Si ab Emphyteuta prædio Emphyteuticario servitus imposta sit , & prædium ad dominum redierit , soluto enim Jure dantis solvitur & Jus accipientis *I. 31. D. de pign. & hyp.* 2. Remissione tum tacita tum expressa 3. Confusione , id est cum idem utriusque prædii dominus factus est *I. 30. D. de serv. præd. urb.* si partem prædii naectus sit non fit confusio *I. 18. & 23. s. ult. D. de serv. præd. rust.* Postremo amittuntur non utendo per tempus , quod est decem annorum inter præsentes viginti , inter absentes *I. 13. C. de serv.* etiam siquidem usus sit , sed non usus sit Jure servitutis , nempe cum uteretur fundo putavit se via publica uti *I. ulti. D. serv. quemad. amit.* Inter prædiorum urbanorum & rusticorum servitutes hæc est differentia , quod rusticæ servitutes , in exercitio plerumque consistant , urbanæ in patientia , neque nisi facto contrario Domini prædii servientis tolli possunt.

## COROLLARIA.

I.

**I**Nvocatio nominis divini non est de substantia instrumenti.

II.

*Senatus consulta vim legum habuere.*

III.

*Qui extruxit adficum B: F. in alieno solo non habet actionem ad repetendas impensas.*

IV.

*B: F. possessor acquirit fructus ob curam culturam non propter bonam fidem.*



FINIS